



9670

~~XXXXXX~~

No: 468.

Q. D. B. V.

AA

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISS. PRINCIPIS REGI
DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

DISSERTATIONE HISTORICA
PRIORE
DE

1741

21

I V R E
I M A G I N V M

APVD VETERES ROMANOS

EDISSERENT
P R A E S E S

M. IO. SAMVEL LVPIVS

DELITIO-MISNICVS

ET
RESPONDENS

IO. CHRISTIANVS MEISNERVS

SCHMIEDEB. SAXO.

IN AUDITORIO MINORE.

D. XIX. CALEND. DECEMBR. A. R. S. $\text{cl}^{\text{b}}\text{CCXI}$.

VITEMBERGAE,

EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.



1788

~~1788~~

SPICIO REC TORIS MA...
SERVENS...
DNI FRIDERICI AVGVSTI
RECTORIS...
Dissertation Historica

IMAGINVM

IVRE

APVD VETERES ROMANOS

M. IO. SAMV. L. PPIVS
DELITIO...
ET
RESPONDENS

IO. CHRISTIANVS MEISNERVS
IN AUDITORIO MINORE
D. XII. CALEND. DECEMBR. A. R. M. CCXLI

ALTRERBERGAE
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI AGRI STELLI



DISSERTATIO HISTORICA PRIOR
DE

IVRE IMAGINVM

EX ANTIQVITATIBVS ROMANIS

DEDVCTA.

§. I.



Vodsi, quanta difficultate cum ple-
raque Antiquitatum capita, tum
in primis reconditum de ueterum
imaginibus argumentum, laborant,
tantum ingenii uiriumque mihi
benignissimo Dei dono esset con-
cessum atque tributum; nihil cer-
te prius, nihilque antiquius habe-
rem, quam quae in tam eleganti et uetustissimis iam secu-
lis adamata materia perplexa, et tantis tricis inuoluta sunt,
enodare atque explicare, quaeque obscuriora uidentur, il-
lustrare. Antiquissimis iam temporibus curiosas homi-
num mentes amore studioque imaginum ductas et inflam-
matas fuisse, non est, quod testimoniis, nimis longe peti-
tis, euincam; siquidem illud uel ex Plinio liquido con-
stare potest, qui *Lib. XXXV. Cap. XI.* exfertis uerbis illud af-
firmat, simul prouocans ad exemplum duorum summo-
rum, uirtuteque, et eruditione insignium uirorum, Atti-
ci nempe, ad quem Ciceronis Epistolae de rebus maximi
momenti perscriptae adhuc supersunt, et doctissimi Var-
ronis, de quo egregio eruditorum pari haec sunt Plinii
uerba, quae audire operae pretium erit, *Imaginum amorem*

A 2

inquir,

inquit, flagrasse quondam, testes sunt et Atticus ille Cicero-
 nis, edito de his uolumine, et M. Varro, benignissimo inuen-
 to insertis uoluminum suorum foecunditati non nominibus tan-
 tum septuaginta illustrium, sed et aliquo modo imaginibus,
 inuentione muneris etiam Dix inuidiosus, quando immorta-
 litatem non solum dedit, uerum etiam in omnes terras misit,
 ut praesentes essent ubique, et terni possent. Haec mihi le-
 genti, suborta est mira quaedam cupiditas, plura eorum,
 quae de imaginibus ueterum ex antiquitate et celeberrimorum
 autorum monumentis haberi possint, cognoscendi. Cum itaque
 alios atque alios auctores confulerem, eorumque scripta euoluerem,
 sub manibus, quod in prouerbio dicunt, excrescere obseruabam
 materiam, cuius etiam lectionis quasi foetum quendam incomptum
 atque inconditum in praesentibus Dissertatiunculis, de Iure
 imaginum inscriptis, edendum, eruditoque examini subiiciendum
 putauit. Singula autem, quae hanc in rem collegi ac congeffi,
 eo, quem ipsa rerum natura et conditio patietur, ordine
 persequar.

Explicatio
 uocabuli i-
 imaginis.

§. 2. Nemini autem obscurum esse potest, imaginem di-
 ci quasi imitationem, id est, ut Latiniore uocabulo utar, imi-
 tationem, quia imago, tanquam *εἰκων*, primigenium suum
 exemplar, siue *ἀρχέτυπον* imitatur et exprimit. Pro deri-
 uationis ueritate, et legitima deductionis ratione Graeco-
 rum quoque uox militat. Imago enim Graecis dicitur *εἰκων*
 ab *εἰκω*, similis sum, quia nimirum imago similitudinem et
 conuenientiam dicit ad eam rem, cuius est imago, quam-
 que imitando exprimit et praesentat. Alias obseruan-
 dum est, notionem imaginis esse *πολύσημον*. Importat e-
 nim uel umbratilem tantum et euanidam rerum speciem,
 qualis imago u.g. in speculo deprehendere est, ubi quidem
 certi colores et lineamenta apparent, obiectum suum ex-
 primen-

primentia; sed haec imago nihil nisi species quaedam um-
 bratilis est, cito euanescent, cum obiectum, cui ueri et nati-
 uini colores, et uera lineamenta insunt, a speculo remouea-
 tur; *uel denotat ueram et realem typi ad suum πρωτότυπον,*
sive primigenium exemplar conuenientiam, eamque partim
essentialem, in rebus, certa ratione eandem essentiam ha-
 bentibus; partim *accidentalem,* uel in sola qualitate et mo-
 rum similitudine, uel in qualitate et quantitate simul fun-
 datam, qua ratione pictura uel statua aut effigies prototypi
 sui imago appellatur. Et haec ultima imaginis acceptio,
 ubi nempe denotat ueram quidem et realem, interim ta-
 men accidentalem, eamque in qualitate et quantitate simul
 fundatam typi ad suum πρωτότυπον conuenientiam huius est
 loci. Nam per imagines ueterum intelligimus uirorum clar-
 orum cera, aut alia ratione expressos uultus, alias quoque
simulacra aut effigies nuncupatas. Bene itaque Polybius Lib.

VI. Hist. imaginem, de qua nobis in praesenti sermo est, de-
 scribit, quod sit *insignis alicuius uiri simulacrum, oris simili-*
tudinem artificiose effictam, coloribus pigmentis que adum-
bratam referens, quod in insigniori et celebriori domus parte
ligneo armario includebant.
 §. 3. Ex quibus ultro patet, a consideratione imaginum, non agitur
 hoc loco a nobis instituenda, exulare clarorum, uirtuteque
 ac fortitudine insignium uirorum *statuas,* quae ipsis publi-
 ce propter singularia in Rempubl. merita honoris causa a
 Senatu Populoque Romano ponebantur, ut ex Cicerone,
 Suetonio, Nepote, Tacito, Plinio, Plutarcho et aliis scripto-
 ribus passim colligere est, quorum loca iam exscribere haud
 necessarium arbitror, eo quod otium nobis fecerit Coelius
 Rhodiginus *Antiq. Lect. Lib. XXIX. Cap. XXIV.* et Baro Fri-
 gelius, qui in elegantissimo de ueterum statu lib. rem om-
 nem diligentissime persecutus est. Excluduntur porro

mi obiect
 au audiat
 iudicium
 m. p. 17

Descriptio
 imaginis
 realis.

hic de sta-
 tuis.



nec de ima- *imagines urbium deuictarum*, quas Romani in suis trium-
 ginibus ur- phis cum aliis raptis ex hostibus spoliis, qualia erant au-
 bium deui- rum, argentum, aes rude, ebur etc. per adolescentes in con-
 ctarum. tis et hastis (fercula Suetonius uocat in Julio Caesare Cap.
 37.) praeferrere iuebant, ut totam hanc pompam triumphalem ex uetustis lapidum, nummorum, et librorum moni-
 mentis elegantissime pingit Onuphrius Pantuinius *Lib. de
 Triumphis*, et ex eo doctissimus Iesuita Pet. Ioseph Canteli-
 us *Lib. de Rom. Republ. Part. I. Dissert. VI. Cap. VII. §. 6. p.
 251.* Adde Rosinum in *Antiquit. Rom. Lib. X. Cap. XXIX.*
 et Dempsterum ad hunc locum *pag. Edit. Traiectinae 782.
 col. a.* Kippingium in *Antiq. Rom. Dissert. II. de Victoria
 et solemnibus eius §. 4. p. 586.* Io. Conr. Dieterichium de *An-
 tiquit. Rom. p. 256.* et alios.

nec de ima- §. 4. Neque hic exponendi erit locus *imagines Deorum*,
 ginibus De- quas in solemnibus diebus, puta in pompa circensi, aut aliis
 orum. festis uariis honorum generibus affectas fuisse legimus.
 Quamuis enim sub initium fundati Romanorum imperii,
 in primis Numa Pompilio regnante, neque picta, neque fi-
 cta Deorum imago esset aut toleraretur; siquidem omni
 studio uetuerat Numa, ne hominum, aut animalium species
 Diis tribueretur; uide Plurarchum in *uita Numae §. 15. Tom.
 I. p. m. 87.* conf. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. L. II. c. 22. T. I. p.
 454.* tamen sequioribus temporibus accidit, ut etiam Deo-
 rum imagines effingerentur, quae simulacra Numinum ua-
 rie colebantur. Sic Iouis faciem diebus festis minio illiniri
 solitam fuisse tradit Verrius, perinde ut reliquorum Deo-
 rum imagines solemnibus diebus ungebantur, et coronis
 floribusque decorabantur. uid. Gutherium de *Iure
 Manium L. I. Cap. V. pag. Edit. Paris. 27.* Vtrumque Deo-
 rum simulacra colendi modum coniungit Plautus:

Tum se coronas, fersa, unguenta infferit
 Ancillam

idoneam Ancillam ferre Veneri aut Cupidini?
Tuus obseruet, Venerine eas det, an uiro?
in *Asinaria Aët. IV. Sc. 1. sub finem.* In Ludis circensibus
simulacra et imagines Deorum non tantum praefereban-
tur, uid. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. Lib. V. C. 8. T. II. p. 77.* sed
etiam certa ordinis ratio attendebatur. Primo enim loco
portabantur imagines Deorum consentium; deinde De-
orum maiorum, quos consentium parentes credebat paga-
norum superstitione; tum Parcarum, Musarum et Gratia-
rum, Horarum item et Nympharum; denique Heroum, si-
ue Semideorum, quos omnes nominibus appellatos uide a-
pud Onuph. Panuinium *Lib. II. de Ludis Circens. Cap. II. p.*
86. ff. Nefas erit, praetermittere hoc loco icunculas Deo-
rum, ut Suetonius in *Nerone Cap. 46.* uocat, i. e. imagines
et idola in minori forma, ut pro cultu adhibendo ubique et
clanculum circumferri possent, quas icunculas armariis siue
aediculis (*Naidia* uocat Polybius *Lib. VI.*) condebant. Erant
autem illa armaria templorum quaedam simulacra, ex auro
uel argento, interdum etiam ligno confecta et auro obdu-
cta, ex quibus, si opus erat, depromi possent. uid. Kipping.
Antiq. Rom. Lib. I. C. 8. §. 9. et conf. Anthon. Matthaeum
de Nobilitate L. I. C. 1. p. 3.

§. 5. Nobis itaque hoc loco imago nihil aliud est, quam sed de ima-
insignis alicuius uiri simulacrum, oris similitudinem artifi- ginibus cla-
ciosè effectam, coloribus pigmentisque adumbratam refe- rorum ui-
rens, ut supra §. 2. ex Polybio eam descripsimus. Quemad- rorum.
modum uero Romani omnium fere suarum actionum cer-
tum finem et scopum sibi praefixum habebant; ita non abs-
re fore spero, si in causas inquiram, quibus permoti imagi-
nes posuerunt. Non autem a uia aberrare uidebor, si qua- causae ima-
tuor potissimum causas recensuero. Ac primo quidem i- ginum po-
magines ponebant, ut illae natalium indicarent splendo- sitarum.
olunt

rem,

rem, generisque praestantiam et nobilitatem. Ea enim nobilitas, quā longa imaginum series illustrabat, omnium maximā censebatur; subitae contra imagines recentem ac nouitiam indicabant nobilitatem. uid. Plinium *Lib. VIII. Ep. X. n. 3. et Lib. III. Ep. III. n. 7.* ubi subitae imagines Budaeus explicat nobilitatem parum antiquam, sede repente, fortunaeque beneficio quaesitam: quomodo nostris temporibus multi extiterunt ignotis natalibus orti, qui ne auum quidem, aut etiam patrem ciere possent aut auderent, qui subitariis principum beneficiis, et aulicorum suffragationibus supra ciuile fastigium euecti, ingentium, splendorumque gentilitatum fundamenta iecerunt. Haec Budaeus, *uid. Lexicon Calepini sub uoce Imago, conf. quae Cellarius habet in loca ex Plinio allegata.* Deinde ponebant imagines, ut in iis amissae uirtutis uel solatio, uel recordatione se erigerent, et oblectarent. Atque ideo, domino aut aliquo ex familia uita functo, illius imago tam circa limina domus, quam prae foribus locabatur, ut defuncti desiderium representata illa species leniret. uid. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. Lib. V. C. 24. T. II. p. 330.* Hinc Augustus etiam imperator effigiem filii ex Agrippina coniuge nati, quam habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris dedicauerat, in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur. uid. Sueton. *in Vita Caligulae Cap. 7.* Tum ponebant imagines, ut haberent, quorum uirtutes ad imitandum sibi proponerent, id quod clare indicat Cicero *in Orat. pro Archia Poëta, quam multas,* inquit, *nobis imagines non solum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum fortissimorum uiuorum expressas scriptores, et Graeci, et Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda Republ. proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.* Nam ideo effigies maiorum cum titulo

titulo in primis aedium partibus ponebantur, ut eorum uirtutes posteris non solum legerent, sed etiam imitarentur. Valerius Max. Lib. V. C. 8. Inde P. Scipionem legimus solitum fuisse dicere, cum maiorum imagines intueretur, uehementissime sibi animum ad uirtutem accendi. uid. Salust. in Bello Inгурth. Denique ponebant imagines, ut dolorem, ex absentia eorum, quos charos habebant, subortum, lenius et aequiori animo ferrent. Exemplo potest esse Laodomia, quae quidem ex absentia Protefilai sui charissimi, et luce magis dilecti, ingentem perceperat dolorem; quos tamen cruciatus aliquo modo leniebat, seseque a sollicitis perturbationibus, animum hinc inde distrahentibus, recolligebat, eius imaginem intuendo. Ipsam itaque audiamus, sic de eius imagine locutam apud Ouidium:

Dum tamen arma gerens diuerso miles in orbe

Quae referat uultus, est mihi cera, tuos.

Heroid. Epist. XIII. u. 151. sq.

§. 6. Personae, quibus imaginum honor tribuebatur personae, (non enim quemuis effingere fas erat) uiri illustres erant quarum iet nobilitate generis clari, iique uel toga, uel fago, uel u-
troque celebres, imperatores puta, caesares, patres patriae, legatos, patronos, eruditos, amicos singulares, etc. id cebat. quod Polybius in descriptione imaginis, supra §. 2. adducta, haud obscure subinnuit, quando imaginem definiēbat per insignis alicuius uiri simulacrum. Inde Augustus, quem maximo signorum atque imaginum amore flagrasse nouimus, multorum (non cuiusuis ordinis, sed) illustrium uirorum effigies incidi iussit statuis marmoreis, quas refici postea, et pristino nitore restitui curauit Alexander Seuerus, uir adeo imaginum et nummismatum amans, ut illis museum suum exornaret. uid. Plin. Lib. XXXV. C. XI. Huic assentiuntur et alii scriptores. Sic doctissimus Grae-

B

uius

nus in *Theſauro Antiquitatum Romanarum Tom. XI. p. 1164.* ex Alex. ab Alex. docet, ueteribus in more positum fuiſſe, imaginibus et signis principum, aliarumque personarum, quibus uel amor, uel cultus debebatur, domos suas exornare; imo impietatis et sacrilegii pene reum fuiſſe, qui *imperatorum* imagines domi non haberet. Iul. Caesar Bulengerus *Lib. de Circo Rom. et Ludis Circens. Cap. LIV. p. 189.* tradit, *aurigis uictoribus* etiam in Olympia praemii loco hunc honorem esse concessum atque tributum, ut coronati disiecta muri parte in suas urbes redirent, et qui ter uicisset, *iconica* ei *imago*, ex membrorum eius similitudine expressa, poneretur. Quin etiam hoc honoris genus deferre batur ad *Praeceptores*, *Ludique magistros*, quorum imagines a discipulis cultas fuiſſe, testes sunt Epicuri sectatores, quos Cicero *Lib. IV. de Finibus* magistri sui imaginem in tabulis, annulis, poculisque expressam habuiſſe refert. *Amatarum* denique *personarum* quarumcunque imagines priuato affectas fuiſſe cultu, colligere licet ex Ouidio et Plauto locis §. seq. adducendis; hoc loco obseruasse adhuc sufficit ex Ezech. Spanhemio, *Lib. de Praestantia et usu Nummism. antiq. Dissert. I. p. 49. Ed. Lond.* eo in ualuisse consuetudinem, ut honorem ponendi imagines non clientes solum patronis, magistris discipuli; aut maioribus nepotes; sed priuatis etiam principes frequenter exhiberent.

materia imaginum. §. 7. Postquam de Personis iam constat, quarum imagines habere solebant, paucis etiam solliciti erimus de materia, ex quibus imagines ipsas efformauerint. Non autem inscite obseruat Dempsterus in *Paralipom. ad Rosinum pag. 44. Edit. supr. a laudat. ce.* imagines *cereas, aeneas, ac marmoreas* fuiſſe. Ac primum quidem *cereas* fuiſſe, docemur a Plinio, qui *Lib. XXXVI. C. 12.* eas appellat expressos *cera uultus*, quem secutus Quenstedius *Lib. de Sepultura ueterum*

Cap

Cap. VI. p. 108. a. expressas cera imagines uocat; sic doctissimus Iesuitarum P. Iacobus Masenius *Palaestrae styli Cap. XXVI. §. 5. p. 93.* maiorum simulacra, *uultusque cera expressos* dicit, adde Lipsium *in Electis Lib. I. Cap. 29.* Inde ab aliis per Metonymiam materiae imagines solo *cerae* nomine ueniunt, id quod uidere est ex Epistola Laodomiae, ad Protefilaum maritum suum perscripta, quae imagine coniugis absentis, *cera* expressi, se erigit et consolatur apud Ouidium *Heroid. Epist. XIII. u. 152. sq.* Quorsum idem Ouidius respicit, quando inter alia, amoris uim et impetum excutiendi remedia, hoc etiam refert, ut caueant, ne imaginibus amatae personae *cereis* perniciosissimum amoris affectum alant, quo tandem in extremam calamitatem praecipites agantur, dum ita canit:

*Si potes, et ceras remoue: quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodomia modo.*

Remed. Amor. u. 723. sq. Locus quoque est apud Plautum non inelegans, ubi Parasitus producit in medium, inter alia ab amica adolescentis nomine in syngrapho hoc etiam postulans,

*Ne epistola quidem ulla sit in aedibus,
Nec cerata adeo tabula. Et si qua inutilis
Pictura sit, eam uendat.*

in Asinaria Act. IV. Scen. I. u. 17. sqq. ubi B. Taubmannus, uir de Academia nostra, et re literaria immortaliter meritus, *ceratam tabulam* iconicum ex cera picturae genus interpretatur *in Notis ad hunc locum.* Exinde uero nollem Antonio Matthaeo assentiri, qui in erudito alias uolumine, *de Nobilitate* inscripto, *Lib. I. Cap. I.* contendere audet, *omnes omnino imagines e cera fuisse ad corporis olim modum effigiata,* siquidem uir doctissimus seductus uidetur a Plinio, qui *Lib. XXXV. Cap. 2.* ab atriis quidem, priscis tempo-

ribus, omnes, praeter cereas, imagines exclusas scribit; exinde tamen nondum efficitur, non etiam ex alia materia efformatas fuisse imagines, ad alios quippe usus adhibitas. Ita enim legimus apud Plinium loco citato: *Aliter apud maiores hae erant,* (de imaginibus loquitur) *quae spectarentur non signa externorum artificum, nec aerea aut marmorea. Expressi cera uultus singulis disponebantur armaris, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera.* Ex hoc certe loco nemo facile colliget, opinor, apud Romanos non nisi ex cera effigiatas fuisse imagines. Nam aliam quoque materiam adhibitam fuisse, non tantum Dempsterus, loco supra commendato, indicat; sed etiam Statius illud euincit, qui cum *cereis* imaginibus coniungit aereas, *Lib. II. Syl. 2. u. 63.* ita canens:

*Quid referam ueteres ceraeque aerisque figuras?
Marmoreas porro fuisse, idem Plinius nobis testatum fecit, dum Augustum scribit illustrium uirorum effigies statuis marmoreis incidi iussisse Lib. XXXV. Cap. XI. Quo Iuuenalis etiam respexisse uidetur, canens:*

*Illi marmoreum caput est, sua uiuit imago.
Satyr. VIII. u. 55. Denique si addas Alex. ab Alex. Gen. Dier. Lib. V. Cap. 8. T. II. p. 77. deprehendes ibi, imagines non nunquam aureas, uel argenteas, plerumque etiam gypseas, aut ex ebore effictas fuisse, in primis illas, quae in Ludis Circensibus efferri consueuerunt. conf. Plinium Lib. et cap. citatis. Neque praetereundum h. l. est, Romanorum imperatores uel suas, uel maiorum imagines togis suis intexisse, fidem nobis faciente Philippo Carolo, in Antiquit. Rom. Lib. II. Cap. 12. p. 67. ita scribente: Imperatores palmata toga utebantur, quae erat purpurea, auro et margaritis intertexta, eique ut plurimum insertae erant cuius propriae, tum maiorum imagines. Ausonius in panegyrico Gratiani palmatae*

matae togae mentionem facit, cui Constantini principis imago fuerit intexta.

§. 8. Ut autem ad cereas imagines redeam, unde eram digressus; illud adhuc monendum uidetur, quod non omnia totius corporis membra ex cera extracta fuerint; sed uultus tantum effixus, et humerotenens efformabatur, id quod supra iam §. 2. in descriptione imaginis indicauius, quando imaginem diximus insignis alicuius uiri simulacrum, oris similitudinem artificiose effectam referens. Quo Iuuenalis etiam respexit, quando has imagines uultus uocat:

Quid prodest, inquit, Pontice, longo
Sanguine censeris, pictosque ostendere uultus
Maiorum?

Satyra VIII. u. 1. ff. in quem locum ita commentatur Kippingius: uultus dicit, quia cerei illi uiri humerotenens exstabant, reliqua pars corporis erat lignum politum. *Antiq. Rom. Lib. II. Cap. I. §. 5. p. 284.* Clarius adhuc exponit Turnebus, qui auctore Plinio incunctanter affirmat, imagines illas, quas nobiles Romani in armariis inclusas in atriis habebant, non integri totius corporis effigie fuisse a capite ad pedes membris omnibus et lineamentis conformatas, sed humerorum tenus oris simulacrum effinxisse. *Lib. XXVI. Aduersariorum Cap. 3. conf. Marcellum Donatum in Elicidat. ad Vopisc. p. 1056. ff. Onuph. Panuinium Comment. ad Lib. I. Fast. p. 42. ff. Non inerudite itaque Rosinus Antiq. Rom. L. I. C. 19. imaginibus, cera expressis, additum fuisse scribit reliquum corporis truncum, ut magnitudine quam si reliquus millimae apparerent, ut in funeribus et reliquis pompis integrae possent circumferri uestibus et insignibus magistratus ornatae, quanquam in atriis nudae tantum effigies, et superiori corporis trunco expressae essent, quod inferius plenius edocebimus.*

Ius imagi-
num apud
quos fue-
rit?

§. 9. *Ius imaginum*, quod nihil aliud est, quam ius nobilitatis, a maioribus acceptae, erat penes *nobiles et patricios*, id quod Cicero clare indicat: Antiquam illam nobilitatem, inquit *pro Rabir. Postumo*, delectabat amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciae, sacerdotia, triumphus, denique imago ipsa, ad posteritatis memoriam posita. conf. Gutherium *Lib. I. de Iure Manium Cap. XXII. p. III.* At non apud quosuis nobiles et patricios ius erat sui imaginem ponendi, posterisque relinquendi; sed apud eos tantum, qui magistratus curules gerebant, quales erant Aediles curules, Praetores, Censores, Consules. Quicumque ergo hoc magistratu defuncti non erant, eis etiam non competebat ius imaginem sui ponendi. Nam imagines erant ex magistratu, non quouis, sed curuli. Sic Quaestura, Tribunatus, et qui alii inferiores honores, ius imaginum non dabant. uid. Kipping. *Antiq. Rom. L. II. C. I. §. 5.* Cantelium *de Rom. Republ. P. II. Dissert. IV. Cap. I. §. 5.* Lipsium *in Elect. Lib. I. C. 20.* Ez. Spanhem. *de praestantia et usu Numism. antiq. Dissert. I. p. 49.* Rosinum *in Antiq. Lib. I. C. 19.* et alios. Cumque magistratus curules primum solis patriciis paterent, palam est, solos etiam patricios initio ius imaginis habuisse. Posteaquam uero hi honores plebi etiam communicati sunt, ius imaginis simul ad eos fuit translatum. uid. Rosin. *loc. cit.* Qui itaque primus de plebe his muneribus erat defunctus, primus etiam sui imaginem domi ponebat, posterisque relinquebat, et nouus dicebatur, quia stirps erat, et auctor nobilitatis. uid. Cantelium *loc. cit.* Nobilitas enim ex imaginibus iudicabatur, quarum quo plures erant, eo maior et clarior aestimabatur nobilitas, cuius praecipuum insigne erat imago. uid. Quenst. *de Sepultura ueterum Cap. VI. p. m. 108.* Nam nobiles prisci erant, qui longa maiorum serie dignitatem generis habebant, dignitatem

rem non quidem originis, sed quia magistratum curulem illi gesserant. Non enim ex genere, sed ex imaginum multitudine omnis erat nobilitas. uid. Kipping. *loc. cit.* ut adeo recte Rosinus *Lib. I. Antiq. Rom. Cap. 19.* diuisionem populi Romani in *nobiles, nouos, et ignobiles* deriuat e iure imaginum. Nam *nobiles* erant, qui multas maiorum suorum imagines ostentare poterant, apud Sallustium propterea in *Bello Iugurth.* a Mario homines ueteris profapiae ac multarum imaginum appellati. conf. Ezech. Spanhemium *loc. cit.* At enim uero non facile patiebantur Romani, genti suae alienam imaginem inferi, ne de honore familiae participare uideretur, aut ex inuicium eius splendorem obnubilare, quod colligere licet ex Plinio: extat, inquit, Messalae, oratoris, indignatio, quae prohibuit, inferi genti suae Leuionorum alienam imaginem. *Lib. XXXVI. Cap. 2.* *Noui* erant, qui suis meritis in Rempubl. clari uirtutis praemium acceperant, annulum et imaginem, adeoque non maiorum suorum imagines, sed suam saltem habebant. uid. Kipping. *Antiq. Rom. L. II. C. II. §. 5.* quorum miseram uicem admodum dolet Anton. Matthaeus *L. I. C. I. p. 2. de Nobil.* ex Valerio Maximo: *Exiguum uiri patrimonium, inquit, adstricti continentia mores, modicae clientelae, domus ambitioni clausa, et paterni generis una imago.* Sic Cicero *de Lege Agrar.* indicaturus, se nouum esse hominem, id est, nulla generis nobilitate commendandum, consulem tamen factum, ita ad populum inquit: *Quemadmodum, quum petebam, nulli me uobis auctores generis mei commendarunt: sic, si quid deliquero, nullae sunt imagines, quae me a uobis deprecentur.* Addere hic liceat Marii orationem apud Sallust. in *Bello Iugurth.* ita se habentem: *Nunc uidete, quam iniqui sint. Quod ex aliena uirtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt. Scilicet, quia imagines non habeo, et quia*

quia mihi *noua nobilitas* est: quam certe peperisse, quam acceptam corrupisse, melius est. *Ignobiles* denique appellati sunt, qui nec maiorum, nec suas habebant imagines. conf. Gutherium *de Iure Manium Lib. I. Cap. XXII. p. iii.* Casalium *de profanis et sacris ueterum ritibus P. II. Cap. XXVI. p. 146.* Sigonium *Lib. II. de Antiq. Iur. Cap. XX.*

abusus imaginum taxatur.

§. 10. In iure imaginum itaque magnam fuisse dignitatem generis positam satis constat. Sed quidam eo dementiae uenerant, ut existimarent, solas maiorum imagines splendorem sibi conciliare, adeo, ut propriis uirtutibus maiorum suorum uestigiis inhaerere opus non esset. In eos admodum inuehitur Seneca *Lib. III. de Beneficiis Cap. 28.* eosque non nobiles, sed notos tantum esse iudicat, ita differens: *Nemo altero nobilior est, nisi cui rectius ingenium, et artibus bonis aptius. Qui imagines in atriis exponunt, et nomina familiae suae longo ordine, et multis stemmatum illigatis flexuris in parte prima aedium collocant, noti magis, quam nobiles sunt. Vnus omnium mundus parens est, siue per splendidos, siue per sordidos gredus ad hunc prima cuiusque origo perducitur. Non est, quod te ista decipiant, cum maiores suos recensent. Vbicunque defecit nomen illustre, illico Deum fingunt.* (Sic Romulus parentem allegat Martem; Aeneas Venerem, alii alios, id quod praeclaris etiam uiris, ut natalium labem contegerent, usu uenisse exemplis probat Remigius *Lib. I. Daemonolatr. Cap. VI.* et Gabr. Palacottus *Lib. de Spuriis Cap. 66.*) Adeoque non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, ut Seneca ait *Epist. 44. ad Lucilium*, conf. Tiraquellum *in Notis ad Alex. ab Alex. T. II. p. 329.* ubi *fumosas* imagines uocat antiquissimi generis stemmata, quae fumo et puluere erant obsita; sed nobilitas ex sola uirtute aestimatur, ut Iuuenalis canit:

*Tota licet uereres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica uirtus.*

Satyr. VIII. u. 19. 20. conf. locum Iuuenalis §. 8. adductum, quin, si libet, tota haec Satyra legi potest, in qua id agit, ut abusum et uanum in copia imaginum gloriam taxet ac damnet, eosque in primis insectetur, qui aut maiorum gloria, aut falsis fortunae bonis effectuntur, existimantes, ueram inde hominibus nobilitatem pendere.

* * * * *

Wittenberg, Diss., 1711 A-Z
X 228 3123


VD 18

ULB Halle
005 309 336

3







B.I.G.

Farbkarte #13

9670

~~XXXXXX~~

#10: 258.

Q. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISS. PRINCIPIS REGI
DN. FRIDERICI AVGVSTI,
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

AA

DISSERTATIONE HISTORICA
PRIORE
DE

1744

21

IVRE IMAGINVM

APVD VETERES ROMANOS

EDISSERENT
P R A E S E S

M. IO. SAMVEL LVPIVS
DELITIO-MISNICVS

ET
RESPONDENS

IO. CHRISTIANVS MEISNERVS
SCHMIEDEB. SAXO.
IN AUDITORIO MINORE.

D. XIIII. CALEND. DECEMBR. A.R.S. clbCCXI.

VITEMBERGAE,
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

